

XXVI.

Quidam denique ad ea respiciunt tempora, quibus nonnullæ civitates vel Respubl. ab Imperio Romano discidium fecere; & ita omnes nil solidi deprehendentes, quo principium & punctum temporis primordialis commodè inducere possint incertitudini rem reliquerunt, ut cum *Comico* dicere possimus:

Multos incertos certare hanc rem vidimus.

XXVII.

Nostra opinio est earum originem antiquissimam quidem esse, exercitium tamen cum victrix illa Aquila armis armorumque terrore aliis Regibus etiam potentissimis quantum ad Orientem est, quantum Occidens respicit & quantum denique ex utriusque lateribus est. *Novell. 9. in præf. Novell. 26. cap. 7. Ful. Pacian. lib. 2. de probat. cap. 26. num. 24. & cons. 146. num. 2. Veget. libr. 1. de Re milit. cap. 1. & 8. Bald. consil. 359. libr. 3. jugum imponebat, rarum fuisse.*

XXVIII.

Eo enim tempore coram summo capite litium radices evelli, stirpes elidi, semina extinguere poterant, nec quia juris suppetebant remedia, extraordinario hoc opus erat processu per *l. in provinciali 3. §. 2. ff. de Nov. oper. nunciat. l. in causa 16. pr. ff. de minorib. cum parall. Wesembec. cons. 46. num. 20. argum. l. si cuius. §. æquissimum. ff. de usufr.* Unde ambiguo procul factum ut antiquitatis huic pertractandæ materiæ parum studii, scrutiniis minus deprehendatur impensum. *Bartol. cit. loc.*

XXIX.

Verum cum magna in se ruant imperia, summisque & ad invidiam perductis negatum stare diu, modoque orientur, mox moriantur, modo vigeant, mox rigeant, floreat modo mox plorent, modo crescant, mox marcescant, marisque ad instar nunc succiduis attollentur incrementis, nunc naturali damno